



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio XI. Qualis sit hęc Relationum Divinarum perfectio ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

per esse in; ideoque multi docent relationes creatas non dicere perfectionem, saltem respectu subiecti; ergo &c. Respondeo negando maiorem quoad secundam partem; relationes enim habent esse in transcendens omne esse relativum; quod etiam habent relationes creatæ transcendens omne accidens: dicuntur tamen habere totum esse ad aliud, quatenus non aliter sunt in subiecto, aut quasi subiecto, nisi illud ordinando, quod est speciale in relationibus.

239. Obijcies 3. In eo, quod est secundum quid ad illud, quod est simpliciter nulla datur perfectionis proportio; sed Essentia est perfectio simpliciter; Relationes autem secundum quid, ut ex dicendis constabit; ergo &c. Respondeo maiorem esse veram, quando secundum quid tale dicitur ob limitationem, & imperfectionem positivam; non autem quando tale est ob oppositionem: at verò Relationes Divinæ non desinunt esse perfectiones simpliciter ob limitationem, & imperfectionem positivam, imò sunt perfectiones infinitæ simpliciter in suo genere, ut statim dicemus, sed ob solam oppositionem; unus autem infiniti simpliciter ad aliud similiter infinitum datur perfectionis proportio.

240. Obijcies 4. Creaturæ comparativè ad Deum, si ei conjungantur, nullam addunt perfectionem; ergo neque Relationes Divinæ; utraque enim sunt perfectiones secundum quid. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia creaturæ sunt perfectiones secundum quid ob limitationem, & imperfectionem positivam; sicque quando Deo adduntur, adduntur tanquam imperfectum Deo omnino perfectio: at verò Relationes Divinæ aliter se habent, ut proximè diximus, sicque adduntur tanquam infinitè perfectum relativè Deo, siue Essentiæ absolutè perfectæ infinitè.

241. Obijcies 5. Si Relationes Divinæ prout sic comparativè ad naturam dicerent perfectionem, multa sequerentur absurda non admittenda. Primum, Trinitatem, imò & quamlibet Personam divinam esse perfectiorem Essentiæ Divinæ. Secundum, Patrem v. g. non esse æquè perfectum, ac est Trinitas tota; siquidem Trinitas plures Relationes, seu perfectiones includit, quàm solus Pater. Tertium, Patrem esse perfectiorem Filio; nam si Relationes comparativè ad Essentiam dicunt perfectionem, cum ratio improducti, quæ soli Patri convenit, sit ex suo conceptu nobilior, quàm ratio producti, quæ convenit Filio, perfectius esset conflatum ex Essentiâ, & Paternitate, quàm ex Essentiâ, & Filiatione; hæc autem non sunt admittenda; ergo &c.

242. Respondeo negando maiorem, unde: Ad primum dicimus non ex eo sequi Trinitatem, aut quamlibet Personam esse absolutè, & simpliciter perfectiorem Essentiâ, sed solum relativè, & secundum quid: præsertim, quia à parte rei Trinitas, & Essentia non distinguuntur, sicque realiter sunt eadem perfectio in omni genere absoluto, & relativo. Ad secundum etiam negamus ex eo sequi, Patrem esse minùs perfectum, quàm Trinitas; siquidem omnes perfectiones relativæ sunt æquales: unde per æquivalentiam tantum continet Pater, quàm Trinitas, & tantum Trinitas, quàm quælibet Persona; quælibet enim continet eandem Essentiam, & æqualem perfectionem Relationis. Ad tertium similiter negamus, conflatum ex Essentiâ, & Paternitate esse perfectius conflatum ex Essentiâ, & Filiatione ob rationem pro-

Tom. I.

ximè assignatam: neque ratio improducti in Patre est perfectior ratione producti in Filio; siquidem utraque dicit rationem subsistendi perfectissimam, & utramque exigit Natura ex se æqualiter, ac necessariò; nam tam necessariò Pater est, quàm est Filius absque ulla ratione dependentiæ, quæ sola inducit inæqualitatem inter producens, & productum, ut patet in creatis.

SECTIO XI.

Qualis sit hæc Relationum Divinarum perfectio?

DIFFICULTAS I. Utrum hæc Relationum Divinarum perfectio sit in suo genere infinita? Affirmativè. Ita P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 12. n. 7. Aureol. in 1. dist. 19. p. 2. art. 2. proposit. 2. Major ibid. q. unica. Ocham. in 1. dist. 19. q. 1. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 4. n. 7. P. Ruiz d. 28. de Trinit. sect. 1. & 2. P. Amicus d. 19. sect. 8. n. 204. P. Compton. tom. 1. d. 57. sect. 1. n. 6. & alii supra cit. Probatur primò, quia omnis Relatio Divina prout præcindit ab Essentia, (in quo sensu procedit difficultas, nam prout sunt idem cum Essentia nullum est dubium esse simpliciter infinitas;) habet in suo genere omnem perfectionem excogitabilem, caretque omni positivâ imperfectione; est ens indestructibile, æternum, &c. ergo est in suo genere infinita.

Probatur secundo, quia Relationes Divinæ, ut diximus, prout præcindunt ab Essentia dicunt perfectionem; sed non finitam; ergo infinitam; siquidem omnis perfectio, aut est finita, aut infinita. Confirmatur, quia quælibet Origo in Divinis est infinita in suo genere; nempe Origo Filii habet omnem perfectionem sui generis, cum non sit possibilis alia Origo Filii; ergo sic erit infinita Relatio, quæ in illa fundatur.

Oppositum tenent Marsil. in 1. dist. 3. q. 23. a. 3. corol. 5. Gregor. in 1. dist. 34. q. unica. art. 3. Durand. in 3. dist. 1. q. 3. num. 13. D. Bonav. in 1. dist. 7. art. 1. q. 2. Scot. in 1. dist. 26. q. 1. & dist. 2. q. 5. & quodlib. 5. art. 2. Richard. Argent. Capreol. Caiet. Ferrar. Canar. & alii, quos citat, non tamen sequitur P. Ruiz cit. pro quibus: Oppones 1. Quod est infinitè perfectum, ut tale sit, debet includere omnem perfectionem excogitabilem, utpotè summè perfectum; sed non ita includunt Relationes Divinæ; non enim includunt perfectionem Essentiæ; ergo &c. Respondeo maiorem esse veram de infinito simpliciter, & in omni genere; non autem secundum quid, & in certo genere, ut sunt Relationes, quæ in suo genere includunt omnem perfectionem; sicque sunt infinitæ in tali genere.

Oppones 2. Paternitas in Divinis est Relatio Divina; & tamen in genere Relationis non est infinita; siquidem non includit omnem perfectionem relativam; alioqui includeret Filiationem, & Spirationem passivam; consequenterque ab illis non distingueretur realiter; ergo &c. Respondeo Paternitatem, ut benè probat argumentum, & nos jam supra diximus, non esse infinitam in genere relativo, sed Paternitatis, in quo genere includit omnem perfectionem excogitabilem; idemque dicendum de aliis Relationibus in suo genere.

Instabis: Idèd Paternitas non includit Filiationem, & Spirationem passivam, quia illis opponitur; sed non ita opponitur spirationi activæ; ergo, ut

N n n

sic

sit infinita debet illam includere; sed hoc supra negavimus; ergo &c. Respondeo majorem non esse universaliter veram; siquidem poterant non opponi, & tamen non includi; neque enim opponuntur Essentiæ; & tamen illam non includunt formaliter, ut infra dicemus.

248. Oppones 3. Relationes divinæ secundum suum conceptum præcisum non sunt formaliter à se, sed tantum identice ratione Essentiæ; ergo etiam, non in se formaliter, sed identice, & ratione Essentiæ erunt infinitæ. Respondeo dato antecedente (quod aliqui negant de Aseitas inadaquata excludente rationem causæ,) negando consequentiam; diversa ratio est, quia Aseitas, ut jam alibi diximus, & infra dicemus, est propria, & constitutiva Essentiæ, sicque non potest Relationibus competere, quæ manent extra Essentiam ut ab illa distinctæ: at verò infinitas relativa, imò neque absoluta, est constitutiva Essentiæ, sed illius tantum Attributum, sicque bene potest esse in Relationibus.

249. Difficultas 2. Utrum plures Relationes Divinæ possint dici in Deo plures perfectiones cum addito, id est relativæ; sicque eodem modo dici, placentia, bonitates, res, entitates, aternitates, infinitates reales, licet non omnes Relationes in Deo sint realiter distinctæ? Affirmativè. Ita Ocham. in 1. dist. 19. q. 1. Aureol. in 1. dist. 19. p. 2. art. 3. proposit. 2. Gabr. in 1. dist. 7. q. 2. art. 2. P. Valent. de Trinit. lib. 2. contrav. cap. 12. P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 9. à n. 14. & cap. 10. & tom. 1. in 3. p. d. 1. sect. 4. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 4. n. 9. P. Amicus d. 19. sect. 8. n. 206. P. Arriaga d. 49. num. 11. & alii. Probatur, quia Relationes Divinæ, prout præcindunt ab Essentia, ut diximus, dicunt perfectionem infinitam, sunt ens, bona, res; &c. Deinde sunt plures; ergo bene potest dici, dari in Deo plures perfectiones, (sicque de aliis prædicatis) cum addito, nempe relativæ; licet non ita possint dici absolute, & sine addito; siquidem prout sic supponunt pro absoluto, quod in Deo est unum tantum. Vide de his, aliisque prædicatis in Metaphys. tract. 5. d. 1. sect. 5. à n. 166. ubi plura diximus hujus loci propria.

250. Oppositum tenent Capreol. Caiet. Ferrar. Canar. Scot. Durand. Richard. Argent. P. Molin. P. Bellarm. D. Bonav. in 2. dist. 38. Henricus quodlib. 1. q. 1. Greg. in 1. dist. 20. q. 1. art. 1. Major. in 1. dist. 19. q. unica. Marfil. 1. p. q. 28. art. 2. d. 3. p. 2. P. Vasq. 1. p. d. 122. cap. 6. & alii, quos citat, & sequitur P. Ruiz de Trinit. d. 30. sect. 3. num. 1. pro quibus. Argues 1. Sancti Patres, ut videre est apud Doctores citatos, præsertim P. Ruiz, loquentes de perfectione Divina, loquuntur in numero singulari; ergo unica, & singularis perfectio datur in Deo. Respondeo Sanctos Patres illis in locis loqui de perfectione Divinâ absolutâ, quæ quidem est una; non autem de Relativâ, quæ est multiplex, ut etiam dixit D. Damascen. lib. 1. de Fide cap. 10. & 11. ubi dicit dari in Deo perfectionem personalem: ibi: *Perfectas, ait, ipsas hypostasas, Personasq. dicimus, &c.* Personalitas autem est triplex; ergo & triplex perfectio.

251. Argues 2. Perfectio recurrit cum integritate; sed hæc in Deo est una; ergo una tantum in Deo est perfectio. Respondeo in Deo unam tantum esse integritatem absolutam, & secundum Essentiam; non autem relativam; hæc enim est triplex realiter, & una virtualiter distincta, quales sunt Relationes Personales, & spiratio activa, sicque etiam tot sunt in Deo perfectiones relativæ.

Argues 3. Si in Deo diceretur dari hujusmodi perfectiones, quia in Deo dantur hujusmodi Relationes, sequeretur dari in Deo inæquales perfectiones, Deumque dici inæqualiter perfectum; siquidem tales Relationes sunt diversæ speciei; species autem ex Philosopho semper se excedunt sicut numeri; sed sequela non est admittenda; ergo &c. Respondeo primò negando minorem; nullum enim est inconveniens admittere quoad nos hujusmodi inæqualitatem; nam Attributa Divina sic etiam sunt inæqualia quoad nos, non tamen à parte rei; siquidem à parte rei, tam Attributa, quam Relationes habent identitatem cum eadem Natura, quæ à parte rei includit omnem omnino perfectionem, aut formaliter, aut eminenter. Respondeo secundò negando sequelam, ut patet ex supra dictis n. 222.

Argues 4. Idèd diceretur dari in Deo triplicem perfectionem, quia in Deo dicitur dari triplicem relationem; sed ex hoc non sequitur; siquidem cum Relationes sint ad terminos, qui ab illis realiter distinguuntur, etiam sunt inter se realiter distinctæ; perfectio autem cum sit in ordine ad subiectum, nempe Essentiam, quæ est una tantum, etiam una tantum erit ipsa perfectio; ergo &c. Respondeo argumentum solum probare hujusmodi perfectiones solum distinguuntur virtualiter ab Essentia, & realiter inter se, quod non negamus. Accedit, falsum esse, perfectionem transcendentalem sumi per ordinem ad subiectum; alioquin ipsa Essentia non esset transcendentaliter perfecta, quia ad nullum subiectum dicitur ordinem.

Argues 5. Relatio formaliter ut talis secundum quod ab alia distinguitur realiter, solum reduplicat supra differentiam entis divini relativi, concipiturque ut differentia adjacens, & modificans ens; sed differentia entis, & illius modificatio ut talis, non est perfectio transcendentalis, nec entitas ratione sui; ergo neque sic erit Relatio in Deo. Respondeo negando minorem, ut patet ex alibi dictis in Metaphysica; differentia enim, & modificationes entis eo modo, quo diximus distinguuntur ab ipso ente, nempe per majorem expressionem conceptus, illud perficiunt; at verò Relationes Divinæ, cum à Natura distinguuntur virtualiter perfecte, ut infra dicemus, eo modo, quo ab illa distinguuntur, sunt perfectiones transcendentales, non solum in se, sed etiam respectu ipsius Naturæ, prout supra diximus.

SECTIO XII.

Utrum Relationes Divinæ sint perfectiones simpliciter simplices?

DIFFICULTAS I. Utrum Relationes Divinæ sint perfectiones simpliciter simplices? Negativè. Ita Scot. quodlib. 5. art. 2. & in 1. dist. 2. §. Ad primam questionem, & dist. 19. q. 1. ad 2. Aureol. in 1. dist. 19. p. 2. art. 3. proposit. 1. Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. & 2. Gabr. in 1. dist. 7. q. 3. art. 3. Greg. dist. 19. q. 1. art. 1. P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 10. n. 4. & tom. 1. in 3. p. d. 11. sect. 4. P. Amicus d. 19. sect. 8. n. 205. P. Tanner. d. 4. q. 3. dub. 4. n. 8. P. Compton. tom. 1. d. 55. sect. 1. n. 7. P. Rhodex tom. 1. d. 6. q. 2. sect. 7. §. 3. & alii. Probatur primò, quia perfectio simpliciter simplex, prout alibi jam diximus in Met. tract. 1. d. 3. à n. 166. cum D. Ansel. in Monolog. cap. 5. & communi Theologorum, est illa: *Quæ in quolibet ente*